

Wilhelm Haller

## **De Discrepantia Numeri In Lingua Hebraica : Dissertatio Philologica I.**

Ienae: Heller, 1775

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn825622506>

Druck Freier  Zugang



CIc-2601(2)<sup>2</sup>







DE  
DISCREPANTIA NVMERI  
IN  
LINGVA HEBRAICA  
DISSERTATIO PHILOLOGICA I.

---

QVAM  
RECTORE ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO

DOMINO  
CAROLO AVGVSTO  
DVCE SAXONIAE, IVLIACI, CLIVIAE MONTIVM,  
ANGARIAE ET GVESTPHALIAE RELIQA

---

EX AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV  
PRO RITE IMPETRANDIS SVMMIS IN PHILOSO-  
PHIA HONORIBVS  
ET FACVLTATE LEGENDI

DIE VI. SEPTEMBR. CIOIO CCLXXV.

PVBLICE DEFENDET

GVILIELMVS HALLER,  
ERFVRTHENSIS.

~~~~~  
IENAE  
LITTERIS HELLERIANIS.

510-2501(2) 2

DISCREPANTIA NUMERI  
IN  
LINGVA HEBRAICA  
DISSERTATIO PHILOLOGICA

RECTORI ACADEMIAE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINO

D O M I N O  
CAROLO AVGVSTO  
DUCE SAXONIAE, IVLIAE, CIVITAE MONTIVM  
ANAGARIAE ET GVESTPHALIAE REGIVM

EX AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
CONSENSV  
PRO RITE IMPETRANDIS SVMMIS IN PHILOGO-  
PHIA HONORIBVS

ET FACULTATE LEGITIMI  
DIE VI SEPTEMBER MDCCCLXXII

GAVILIELMVS HALLER,  
PRAELECTOR

IN LINA  
DITMARSCHEN

ILLVSTRISSIMO AC GENEROSISSIMO DOMINO

D O M I N O

IOANNI DAVIDI

A KELLER,

SERENISSIMO DVCI WÜRTEMBERGENSI

A CONSILIIIS AVLICIS REL.

FAVTORE, PATRONO AC EVERGETAE SVO

SVMMO OBSERVANTIAE ATQVE PIETATIS CVLTV

AETERNVM DEVENERANDO

HANCCE

DISSERTATIONEM

IN GRATISSIMI ANIMI TESTIMONIUM

PRO TOT TANTISQVE BENEFICIIS PIE ET SVBMISSE

CONSECRAT



SIMVLQVE DIVTVRNAM INCOLVMITATEM  
ATQVE OMNIGENAM PROSPERITATEM  
EX ANIMO PRECATVR

IOANNI DAVIDI  
A KELLER.

PERMISSIMO VBI PARTIBUS  
A CONSILII AVICIS VBI

FAVTORE PATRONO ACVERGETAE SVO

STANO OPERANTIA ATQVE PETITIS CIVIV

ALTIORIBUS DEFENSANDIS

HALLER

DISSERTATIONEM

IN GRATISSIMO ANIMI TESTIMONIO

SVBIECTISSIMVS SERVVS

GVILIELMVS HALLER.



§. I.



Eorum, qui sacrum veteris Instrumenti codicem in fonte legerunt, fore, credo, neminem, qui non animaduerterit, in illo saepissime loco *numeri pluralis* occurrere *singularem*, et contra, idque non in *Verbo* tantum, verum etiam in *Nomine* atque *Pronomine* obtinere. Quem linguae Hebraicae idiotismum omnes quoque, qui illius syntaxin tradiderunt, ut fas est, obseruarunt, eiusque etiam rationem reddere, ac quid adeo sacri scriptores hac nobis tam insolenti ratione loquendi intenderint, ostendere sunt conati. Verum quam omnium horum Virorum doctissimorum, quam huic argumento impenderunt, operam, gratissima, ut par est, mente agnoscam: tamen, si eloquendum, quod res est, fateri cogor, illos omnes hac quidem in re mihi adhuc per omnia nondum satisfecisse, quia et plurima scripturae sacrae, in quibus haec constructio obuia est, loca sicco pede transierunt, et, quod praecipuum est, eidem, meo quidem iudicio, minus aptam, non dicam falsam, subiecerunt sententiam. A cuius vero rita explicatione quum plurimorum veteris Testamenti locorum verus et genuinus sensus, quin eius diuina origo atque auctoritas pendeat (sunt

A


(sunt



19  
 (sunt enim, qui eo audaciae progrediuntur, ut sine omni haesitatione adfirmant, hanc constructionem vel ex incitia ipsorum auctorum diuinorum in Grammatica, vel ex lapsu et oscitantia liberariorum esse natam ideoque corrigendam) facturum me operae pretium esse credidi, si in hoc argumentum paullo curatius, quam adhuc factum est, inquirerem.

## §. II.

In toto autem hoc negotio pertractando ita versabor, ut I) adferam exempla, in quibus illa numeri enallage deprehenditur. Et quidem ad ea quod attinet, de quorum veritate satis constat, tantummodo indicem scripturae effata, in quibus reperiuntur. Ad caetera autem quod spectat, quae adhuc in dubium vocantur, eorum veritatem probem. II) Monstrem *quando et ubi*? III) Qua de causa sic loquuti sint scriptores sacri? num ex incitia linguae Hebraicae, an hac constructione aliquam empha-  
 sin, et si, quam intenderint? Quem in finem contextum, loca, quae vocantur, parallela, versiones antiquas, alias orientis linguas, maxime Arabicam, quippe in qua haec numeri enallage nihil est frequentius, reliquaque interpretandi subsidia in auxilium vocabo. IIII) Subiungam eiusdem generis exempla, tum in aliis linguis orientalibus Hebraicae adfinibus, praesertim Arabica, tum in occidentalibus quibusdam, nominatim Graeca et Latina, obuia. V) Disquiram, num haec constructio 1) veri nominis numeri enallagen constituat? 2) *Soloecismi* ac *barbarismi* nomine insigniri mereatur? et 3) num scriptores sacri, ea vsi iure meritoque reprehendendi sint, adeoque ad ipsum sacrum codicem aliquid inde incommodi redundet? VI) Paucis ostendam, quae sententia ferenda de iis locis sit, in quibus secundum lectionem textualem eadem numeri dif-  
 cre-




crepantia obtinet, quae vero auctores notarum marginalium, Masorethae nempe Tiberienses, vt putant, correxerunt. VII) Quibus omnibus absolutis, omnia exempla antea nude citata aliaque huc pertinentia, ipsa adponam, idque secundum ordinem librorum biblicorum. Quoniam vero non sine causa verendum est, ne nuda exemplorum recensio apud lectores taedium efficiat: non solum, quo in vocabulo numeri enallage lateat, monstrabo, sed hac quoque occasione illud aequae ac caetera ad eandem enunciationem pertinentia breuibus obseruationibus philologicis, nec non interdum, si res postulabit, exegeticis illustrabo, hac tamen lege atque conditione, vt, ne nimis me diffundam, et scriptionis huius limites transgrediar, aliorum sententiis recensendis ac diiudicandis vel plane non immerer, vel, vbi earum mentionem res exigere videbitur, tamen non multas commemorem, sed, praecipuis extremo quasi digito tactis, illi tantum adstruendae operam dem, quae mihi omnium verissima videtur.

### §. III.

Quae vero enallage, quum ad duo potissimum momenta redeat, quod scilicet vel *singularis* numerus pro *plurali*, vel versa vice *pluralis* pro *singulari* ponatur, quibus sua iam sponte videbit, hoc quaecumque opusculum in duas praecipue describendum esse partes, quarum in prima de *singulari* pro *plurali*, in altera autem de *plurali* pro *singulari* posito agetur. Quia vero vtrumque tam in verbo, quam adiectiuo et pronomine locum habet; quaeuis pars rursus tripartita erit. Prima de *Verbi*, altera de *Nominis*, et tertia de *Pronominis* enallage aget.

A 2

PARS



PARS PRIMA  
DE  
NUMERO SINGVLARI PRO PLVRALI  
POSITO.

SECTIO PRIMA,  
DE  
VERBO SINGVLARI PRO PLVRALI POSITO.

§. III.

Verbum vti in linguis occidentalibus, ita quoque in orientalibus, et nominatim quidem Hebraica in numero plurali poni duas potissimum ob causas solet. *Primum* si nomen plurale, aut duale, *secundo*, si duo nomina, licet sint singularia, respicit. (a) Quoties igitur ab hac regula receditur, *numeri enallage* statuenda est. Vtroque autem in sacris prioris foederis tabulis nihil est frequentius. Et in primis ad prius quod attinet, eius est ratio duplex: namque Verbum singulare, nomini plurali aut duali additur vel *in eodem genere* vel simul *in genere diuerso*. Exempla vtriusque generis sunt fere innumera; quae vero omnia hic enumerare non lubet, neque opus est, quia in sequentibus eorum singula data opera excussurus sum, adeoque cogerer, semel dicta repetere, quod mihi foret molestum, et lectori, opinor, ingratum. Quapropter hoc loco eorum tantum praecipua in medium protulisse sufficiat. Initium faciamus ab iis generis superioris, vbi Verbum *singulare* duo-

(a) Idem quoque de adiectiuo atque Pronomine valet: sed de his melioris ordinis causa in duabus posterioribus sectionibus agam.



duobus pluribusue nominibus iungitur. Exod. VII, 10. X, 3. וַיָּבֹא מֹשֶׁה וְאַהֲרֹן אֶל פַּרְעֹה h. e. Et venit Mose ac Ahron ad Pharonem. Quilibet facile videbit, verbum וַיָּבֹא, quum ad duo nomina, Mosen ac Ahronem, respiciat, ex analogia syntactica, proprie in plurali numero per וַיָּבֹאוּ efferendum fuisse, hic vero in singulari effertur. Verum eadem constructio praeter quamplurima sacrorum oraculorum loca alia obtinet quoque sequentibus Exod. VIII, 8. VIII, 34. XVI, 6. XVIII, 5. 12. XXIII, 9. XXVII, 21. XXVIII, 10. 32. XXXIII, 30. XXXVI, 1. Leuit. VIII, 36. VIII, 23. Num. 1, 17. 44. III, 39. III, 5. 34. 37. 41. 45. XII, 1. XIII, 5. XVII, 8. XX, 6. 11. XXXI, 31. 51. 54. Deut. III, 46. 2 Sam. V, 6. Ief. XVI, 10. Ioel. I, 9. 13. Nehem. VI, 2. Plura huius generis exempla attentus sacrarum litterarum lector ipse obseruabit. Quapropter reliqua praetermittentes ad ea prioris generis progrediamur, in quibus Verbum *singulare* respondet Nominibus *pluralibus* aut *dualibus*, et quidem vel in eodem genere, vel in genere discrepanti.

A) Exempla, in quibus Verbum *singulare* iunctum est Nomini *plurali* vel Nominibus *pluralibus*, et quidem

1) in eodem genere

1) *Masculinis in masculino.*

1 Paral. XXVI, 6. וְלִשְׁמַעְיָה בְּנוֹ נִירְיָה h. e. *Et Schmaiae, eius filio, NATVS EST FILII.* Quoad genus quidem inter Verbum et Nomen optima est conuenientia, Nomini enim masculino respondet etiam Verbum masculinum, quoad numerum vero discrepantia, Nomen enim בְּנֵי is est plurale, Verbum נִירְיָה vero singulare,

A 3

quod



quod vi syntaxeos itidem in plurali per בולרו *nati sunt* efferendum fuisse videtur. Sed eadem construendi ratio in quamplurimis quoque locis aliis reperitur v. c. Gen. XXXI, 8. XXXXI, 50. XXXXVI, 22. 27. XXXXVII, 28. Exod. XVIII, 8. XX, 3. XXXI, 14. XXXV, 24. Num. VIII, 6. XXXII, 25. Iud. VIII, 6. 1 Sam. XII, 5. XIII, 19. XVI, 4. 2 Sam. V, 6. 2 Reg. VII, 11. XXIII, 10. 1 Par. III, 1. Ief. II, 18. X, 34. XXX, 25. Ier. XXXVI, 32. XXXXV, 15. LI, 48. Ezech. XIII, 1. XVIII, 29. XXXVI, 20. coll. XXXVII, 22. Hof. VI, 5. VIII, 4. Pf. VII, 3. conf. 2. CXXV, 1. Prou. XIII, 9. XVI, 7. XVIII, 21. XXVIII, 16. XXVIII, 1. Iob. XX, 25. XXIII, 16. XXX, 17. Esth. VIII, 23.

2) *Femininis in feminino.*

Gen. XXXXVIII, 22. בנות צערה עליו שור h. e. FILIAE ADSCENDIT *in murum.* Et hic quoque Verbum cum Nomine respectu quidem generis conuenit, uti enim hoc ita illud quoque est generis feminini, ratione vero numeri disconuenit. Nomen enim בנות est in plurali, Verbum autem צערה in singulari positum, adeoque proprie dicendum fuisset צערו *adscenderunt.* Eadem vero numeri discrepantia exstat etiam Leuit. VI, 9. 1 Reg. XXII, 49. Ief. LVIII, 12. Ier. II, 15. XII, 4. XXXVIII, 41. LI, 29. Thren. III, 38. Ezech. XXVI, 2. II. XXXII, 27. Pf. CXVIII, 98. Nehem. XIII, 10.

II) *in genere discrepanti.*

1) *Masculinis in feminino.*

Ezech. XXV. 10. לא תזכר בני עמון כנוים non MEMORABITUR FILII Ammon s. AMMONITAE *inter gentes.* In qua loquutione duplex Verbum inter et Nomen in-



intercedit discrepantia, *numeri* et *generis* simul. Nomen enim כָּרִי est plurale masculin. Verbum autem יָרַרְתִּי singulare femininum. Ex analogia grammatica dicendum potius fuisse videtur יָרַרְתִּי *memorabuntur* s. *eorum mentio fiet*. Quam vero constructionem plane singularem non idem modo Propheta Cap. XII, 28. XXXI, 15. et forsitan etiam XXXV. 12. repetiit, sed alii quoque auctores diuini, vti Iesaias XXXIII, 13, Dauides Ps. XXXVII, 31. LXXXIII, 2. item libri Iobi auctor Cap. XVI, 16, 26. et forte Ieremias quoque Cap. I, 10. frequentarunt.

2) *Femininis in masculino*

Num. XXVIII, 17. יֹאכֵל אַזְמָתָא *azyma commedetur*. Et in hac loquutione duplex inter Verbum et Nomen est disconuenientia, numeri et generis simul: Nomen enim אַזְמָתָא est plurale femin. Verbum autem יֹאכֵל singulare masc. hoc tantum discrimine, quod non, sicut in priori, Nomini plurali masc. verbum sing. fem. sed versa vice Nomini plur. fem. Verbum sing. masc. respondeat. Plura huius loquendi rationis exempla occurrunt Gen. XXX, 43. XXXXVII, 24. ( 1. 14 ) Exod. XVIII, 16. XXX, 4. coll. Cap. XXV, 27. XXXVII, 14. Leuit. XIII, 38. Deut. XXXII, 35. Ios. XV, 4. XVII, 9. XVIII, 12. 14. 19. XVIII, 33. 1 Reg. XI, 3. 2 Reg. XII, 14. Ies. XVII, 6. Ier. XXXXVIII, 15. Ps. LVII, 2.

B) Exempla, in quibus Verbum *singulare* iungitur Nomini *duali*

1) *in eodem genere*

1) *Masculinis in masculino*

Ezech. XXXXVII, 9. וְיָבִיא שָׁם נְחָלִים יַחֲיִי *al* כל אשר יבוא שם נחלים יחיה *quocumque VENIET TORRENTES (ibi) viuet*. Hic Verbum cum Nomine in Genere quidem conuenit, sed in nume-







יָד in utroque genere adhiberi, itaque illud etiam hoc loco pro masculino haberi posse, praesertim quum

*secundo* hoc nomen in ipsius huius commatis initio tanquam masculinum construatur: dicitur enim: וַיְרִי מֹשֶׁה כְּבָרִים *Et manus Moses erant graues.*

Verum quanquam hunc vocabuli usum non ignoro: malim tamen id hoc loco in genere feminino accipere.


*Primum* quia vti caetera membrorum nomina, sic imprimis nostrum יָד, licet nonnunquam in masculino, vt plurimum tamen in feminino genere adhibetur, idque

*secundo* vel ob ipsam hanc constructionem, Hebraeis vt paullo ante vidimus, vsitatissimam. Quae sententia extra omnem dubitationem poneretur, si

*tertio* statuere liceret, sequens vocabulum אֱמוּנָה hoc loco non esse *substantiuum*, *veritatem* s. *firmitatem* significans, sed *adiectiuum* aut *participium*, quod vocatur, *Paul*, femininum a masculino אֱמוּן aut אֱמוֹן *verus*, *firmus*, *nutritus* s. *educatus*, quorum pluralis est אֱמוּנִים *veri*, *fideles*, *nutriti*, ac vertere proxime quidem: *manus eius fuit firma* i. q. *firmas*. Quae opinio magnam praese fert probabilitatem. Eam enim confirmat non solum,

1) huius nominis forma externa, quae tota est *adiectiua* aut *participialis*, sed et

2) eiusdem significatus. Nostro enim loco אֱמוּנָה *adiectiue*, *firma*, et pro eo ob praecedens nomen duale *firmas* esse vertendum, omni dubio caret. nullam aliam enim significandi potestatem admittit contextus. Accedit



3) Interpretum antiquissimorum, Alexandrinorum, consensus, quos hoc nomen adiective aut potius participialiter sumisse oportet. Nam, licet illud alias plerumque per substantivum, hic tamen per participium femininum reddiderunt, vertentes: *καὶ ἔγενοντο αἱ χεῖρες Μωϋσῆος ἰσθηγόμεναι*. Quae versio clarissimo indicio est atque documento, eos אֲמוֹנָה a masculino אֲמוֹן vel אֲמוֹנָה derivasse. Quod argumentum, etsi rem non conficit, neque tamen plane de nihilo est. Sed meae sententiae haud leve pondus accedit etiam

4) ex eo, quod in commatis initio ad *gravitatem* Mosis manuum indicandam, non substantivum, sed adiectivum adhibetur, dicitur enim: *וַיְדִי מַשָּׂה כְּבָרִים* *manus Mosis erant graves*, unde veri est simillimum, eius oppositum, *firmitas* Mosis manuum, itidem per *adiectivum* esse expressum. Ii enim, qui non Hebraicam solum, sed et reliquas Orientis linguas, et quidem non obiter tractant, procul dubio scient, in iis, maxime Arabica, si duo vocabula sibi opponuntur, ad posterius priori oppositum exprimendum, ordinarie tale poni, quod cum priori non solum eiusdem orationis partis, sed et saepissime eiusdem adeo formae est. Hoc quidem ultimum proprie huc non facit, sed prius. Qua observatione huic meae opinioni, haud mediocris, credo, conciliatur probabilitas, praesertim, quum iam demonstratum dedi, nostrum אֲמוֹנָה *adiectivi* non modo *significationem*, sed et *formam* habere.

Quae omnia si recte se habent: duo effecta essent

1) nomen יָד nostrum in loco esse *femininum*, adeoque inter hoc et verbum duplicem enallagen, *numeri* et *generis* simul deprehendi.

2) etiam

2) etiam in ipso vocabulo אמונה esse enallagen, non generis quidem, numeri autem, ידיו enim est *Dualis*. אמונה vero *singularis* adeoque positum pro *plurali* אמונות *firmæ*, cuius causa non sine ratione statui posset verbum præcedens *singulare*.

Obiici tamen, ne quid dissimulem, non sine specie posset, concedi quidem, אמונה hic vim *adiiectiui* habere, verum non per se, sed esse sua natura nomen *substantiuum*, hic vero *abstractum* pro *concreto* positum. Et profecto, hanc obiectionem non paruam probabilitatis speciem præ se ferre, non possum non fateri. Nam

a) ordinaria et communissima vocabuli אמונה significatio est illa *substantiua* *veritas*, *firmitas*, *fides*, *fidelitas*.

b) *abstractum* nostro in loco pro *concreto* esse positum, non sine omni fundamento statui posset, quia hæc loquendi consuetudo Hebraeis est quam maxime familiaris, quo maxime facit *substantiuum* צדק quod pro *adiiectiuo* adhibetur Ps. CXVIII, 75. צדק משפטך IVSTITIA sunt tua iudicia h. e. IVSTA, immo ipsum אמת vocabulum non solum eiusdem cum אמונה significationis, sed et ab eodem themate אמן descendens, *adiiectiue* vsurpatur Ps. cit. com. 142. אמת וחורתך Lex tua est VERITAS h. e. VERA, præcipue com. 151. אמת מעותך præcepta tua sunt, VERITAS h. e. VERA.

Verum quantam hæc habeant speciem: apud me tamen non tanti sunt, vt statim sententiam mutandam existimem. Initio nostrum אמונה sua natura, secundum etymologiam non *adiiectiuum* sed *substantiuum* esse, nego,



ac potius, si eius originem spectamus, *adiectiuum* esse, et quidem *femininum* a masc. מִן אוֹתוֹ, adeoque vbiuis proxime vertendum esse existimo *vera, verum* seu *firma, firmum*, dein vero sensum *substantiui, veritas, firmitas, fides, fidelitas* habere, eodem plane modo, vt Latinorum quoque aliorumque populorum adiectiua neutra et infinitiui, substantiuorum loco vsurpantur.

Deinde, alia loca, in quibus מִן אוֹתוֹ vt adiectiuum construitur, adhuc quidem non animaduerti (nam ad Pf. CXVIII, 85. prouocare nollem, ne petitionem principii committere viderer) forte tamen alius iam animaduertit, aut animaduertentur vel a me ipso vel ab aliis. Ac etiamsi nulla essent, hac tamen sola de causa, mea sententia non continuo corrueret, propter argumenta pro illa iam adducta.

*Quarto.* Neque obstat, quod nomini מִן in versus initio additum est adiectiuum masculinum: nomina enim communis generis sine discrimine, modo vt masculina, modo vt feminina construi, iam tyrones norunt.

Interim si quis, hoc nomen מִן nostro in loco in masculino genere accipi debere, statuere omnino velit: non valde repugnabo, quamuis, mihi quidem, praecipue per argum. tert. contrarium veritati multo propius videtur: remanet tamen numeri enallage.

Plura huius modi exempla habentur Ios. VIII, 20. Ios. II, II.

Ordo tractationis postularret, vt nunc ea quoque in medium proferrem exempla, in quibus Nomini *duali masc. gen.* respondet Verbum *singulare fem. gen.* Talia autem adhuc nondum animaduerti, cuius rei causa sine controuersia est haec, quod praeter numeralia מִן et

et אֶלֶף ac alia quaedam paucissima, v. c. מַיִם in duali numero occurrunt nonnisi nomina, membra, quae natura *gemina* finxit, designantia, haec vero vt plurimum in feminino tantum genere inteniuntur. Aliis, quae masc. gen. sunt, Verbum aut adiectiuum, Pronomenve additum non legi, quapropter de his neque, certi quid statui potest.

*Observatio I.* Ad secundam Classem B referri quae debent omnia ea loca, in quibus Nomini מַיִם aquae Verbum, adiectiuum aut Pronomen singulare respondet. Scio quidem, illud a quibusdam ad *pluralia*, a *singulari* מַי, ab aliis vero ad *singularia* referri. Quam sententiam posteriorem praesertim cum *Altingio* fouet *Simonis*, qui vocabulum מַיִם a verbo inusitato מַי, quod forte sensum *abluendi* et *eluendi* habuisse suspicatur, deducendum esse existimat. מַיִם, ait, *aquam* denotare, quod sit *ablutionis* et *emaculationis medium*. Hanc singularem profus opinionem vir doctissimus quatuor hisce argumentis corroborare satagit.

- 1) quod מַיִם cum Verbo singulari construi solet.
- 2) Dualitatis ratio reddi nequit, si ad dualia referatur.
- 3) Formatur inde מַיִמִים, in regimine מַיִמִי.
- 4) si מַיִם esset a singulari מַי, in duali haberetur מַיִים.

Neutri vero harum sententiarum subscribere vlllo pacto possum, sed מַיִם ad dualia referri debere arbitror. Nam

A) מַיִם non esse *nomen singulare*, sed vel *plurale* vel *duale*, quod mihi hic perinde est, omni dubio caret

1) quia in eo insunt omnia nominis *pluralis* aut *dualis* attributa. Namque

1) Constructur cum Verbo a), adiectiuo b), atque Pronomine c) *plurali*.

a) Iud. XV. 19. וַיֵּצְאוּ מִמֶּנּוּ מַיִם EXIERVNT *ex illo aquae*. Item, Iob. XIII, 11. Plura exempla apud ipsum Simonis inuenies.

b) מַיִם חַיִּים *aquae viuae*, Gen. XXV, 19. Leuit. XIII, 5. 50. Ier. II, 3.

מַיִם מְרִירִים *aquae amarae*, Exod. XV, 23.

מַיִם עֲמֻקִּים *aquae profundae*, Prou. XVIII, 4. XX, 5.

מַיִם רַבִּים *aquae multae*, Pl. CVII, 23. CXXXXVIII, 7.

c) לֹא יָכְלוּ לִשְׁתֶּה מַיִם כִּי מְרִירִים הֵם *non potuerunt bibere aquas, quia amarae EA s. erat h. e. EAE i. q. ERANT* Exod. XV, 23.

2) Item statum, qui vocatur, constructum instar nominis pluralis aut dualis format, terminatione ים - in י, mutata, vt sit מַיִ Gen. VII, 7. Ief. XXV, 10. rel.

Proinde non potest esse singularis numeri. Huic argumento omni exceptione maiori Simonis ita quidem occurrere studet, vt adfirmet, statum constructum מַי vel esse ab absoluto מַי, vt a רַי רַי, vel illam regiminis formationem et constructionem cum adiectiuo et Verbo plurali tribuendam vsui vulgi, regulas grammaticas non semper curantis, qui מַיִ ob terminationis similitudinem flexisse instar nominis dualis, cui adeo scriptores sacros se accommodasse.

Sed Vir, linguarum orientalium peritissimus, hic mihi quidem a scopo longissime feruisse videtur. Etenim

a) id quidem adserit, sed non probauit, neque vel vnum simile exemplum attulit, quod tamen debuisset.

Hoc

Hoc vero non est veritatis amantis et solide docentis, sed optantis et hypothesei semel adoptatae feruentis.

b) Vir laudatus putat, מִי esse statum constructum ab absoluto מִי: sed et hoc sine omni fundamento statuit, neque enim nouam hanc coniecturam vel vno verbulo confirmavit, sed tantum precario adsumsit, et מִי vocabulum Hebraicum esse, vel fuisse, omni destitutum est probabilitate, sed de hoc postea. Verum si vel maxime darem, מִי olim vere exstitisse, tamen

c) מִי illius status constructus nullo modo esse potest, sed a מִים duali aut plurali deduci debet, construitur enim cum Verbo et Pronomine plurali. Exemplum prioris generis exstat Ios. III, 1. h. e. מִי הִירְרֵן יַבְרֵתֵן aquae Iordanis EXSCINDENTUR, s. exscisae sunt. Sic quoque cap. XIII, 18. et alibi passim. Posterioris autem legitur Num. XXVII, 14. הָאֵם מִי מְרִיבָה HAE SVNT aquae Arribae, praesertim quum

3) haud raro vere etiam plures aquas denotat, id quod vel ex sola illa formula מִים רַבִּים, quam paullo supra (1. 1. b.) ex Salomonis sententiis adlegavi, constat.

Quod tamen dum adfirmo, id dicere nolo, ac si מִים ubique pluraliter per aquas vertendum sit: probe enim scio, saepissime simpliciter per aquam reddendum esse.

II) Paullo ante (1, 2.) obseruavi, ם finale vocabuli מִים ob statum constructum semper abiici, quod ipsum clarissimo indicio est, illud non esse radicale; Mem enim radicale, vt reliquae litterae radicales, ob statum constructum nunquam abiicitur. Ergo si ם in מִים esset radicale, in statu constructo non מִי sed מִים haberet, vti a בֵּית, est בֵּיתָה, a וַיֵּתָב ab וַיֵּתָבָה. Quod si vero illud ם finale non radicale est, neque מִים ipsum esse; singularis potest





potest : nam statuere,  $\square$  esse seruire adformatiuum, Nomen a fine per  $\square$  auctum constituens, adeo ineptum atque absurdum esset, vt nihil supra: omnia enim nomina formae  $\text{מִי}$ , certe respectu vltimae syllabae, sunt non nisi nuda. Ac praeterea  $\square$  finale adformatiuum tantummodo in plurali ac duali ob statum constructum et suffixa perit, nunquam vero in singulari, quacunque de causa. Sed hoc neque ipse Simonis vult, illud radicale existimans.

Haec, quae hactenus de vocabulo  $\text{מִי}$  disputavi, adeo aperta atque in promptu sunt, vt nihil fere contra moneri posse credam, adeoque subsistere hic possem: tamen vt par est et aequitatis, etiam partem alteram audire, ita ea quoque argumenta, quae Simonis pro sua sententia in medium protulit, paucis lustrabo, et, omni vero, qua par est, modestia, diiudicabo. Sunt autem illa

III) meo quidem iudicio haud magni sane momenti. Namque

*Primum* iam per ea corrui, quae ad n. I. I. monui, cui hoc loco tantummodo id addere liceat, construi quidem vocabulum  $\text{מִי}$  quandoque cum *verbo singulari*, nunquam vero cum *adiectiuo*, neque, ni fallor (me vero falli, non credo, praecipue quum ipse Simonis nullum eiusmodi exemplorum attulit, quae tamen, si reperirentur, certe in suae opinionis gratiam attulisset) cum *pronimine singulari*, et cum verbo quoque singulari nonnisi rarissime, sed ordinarie cum *verbo adiectiuo* et *pronimine plurali*: vnde perspicuum est, eam constructionem, qua  $\tau\omega$   $\text{מִי}$  *verbum singulare* respondet, esse *irregularem*.

*Secundum* et *ultimum* causam viri dignissimi parum vel nihil adiuuant: ad summum enim inde nonnisi id colligi cum ratione potest,  $\text{מִי}$  non esse nomen *duale*: in-  
de



ties occurrit, verum ne semel quidem per מימים, sed semper sine omni exceptione per מים exprimitur. Verbo, מימים in toto sacro codice ne vna quidem vice reperitur, vnde non sine summa probabilitate concludo, illud Hebraeis, saltem scriptoribus sacris, plane ignotum fuisse. Nam si fuisset: mirum sane esset, eos illo ne semel quidem vsos fuisse, quum tamen *aquarum* in casu recto, non sequente Gentiui casus nomine, toties totiesque faciant mentionem. Et adhaec pro existentia huius מימים ne vnum quidem attulit argumentum, adeoque illud sine omni fundamento solius singularis suae hypotheseos gratia finxisse censendus est.

Sed 2) quidquid de Simonifiano מימים fit, מים certe non esse *singularem*, sed vel *pluralem* vel *dualem*, propter argumenta contra eum iam adlata, certum atque indubium esse, non sine causa persuadere, credo, mihi possum.

Multa quoque de significandi potestate quam S. fisco themati tribuit, seu potius adnexit, et qua ratione notionem *agude* inde eruit, dici commemorarique possent: quae vero omnia, quia non adeo ad institutum meum faciunt, meque potius nimis longe inde abducerent, intacta relinquo.

B) Haecenus igitur satis quidem superque demonstravi, מים non esse nomen *singulare*: sed neque sic tamen tota perorata lis est: nunc enim noua exoritur quaestio, vtrum hoc nomen *plurale* sit, an *duale*? Ad hanc quaestionem quod attinet, ego quidem, nulla huius vocabuli signi-

significationis, sed solius formae eius externae habita ratione, plane non dubito, ab eorum stare partibus, qui illud non ad *pluralia*, sed *dualia* referendum esse censent. Idque

1) ob vocabuli scripturam, quae tota est *dualis*. Nam si esset pluralis, ad minimum, ut reliqua, quae contra moneri possent, silentio praetermittam,  $\text{רַוּב}$  initiali ( $\text{ר}$ ) Kamez, subiectum esse deberet, et  $\text{רַוּב}$  Jod aliud Jod, quod Grammatici *Jod multitudinis* adpellitare consueverunt, sequi, totumque vocabulum ita se habere,  $\text{רַוּבִּים}$ ; vel potius, si a singulari  $\text{רַב}$ , deducatur, Patach sub Mem seruato, ventri litterae Jod, illud immediate sequentis Dagesch forte impressum fuisse oporteret, ut sit  $\text{רַבִּים}$  Maijim

Minime quidem ignoro, hoc Jod multitudinis quandoque abesse v. c. in  $\text{הַצְּרִיקִים}$  pro  $\text{הַצְּרִיקִים}$ , Gen. XVIII, 28. item Exod. XVI, 8. XVII, 8. sed idem in nostro vocabulo  $\text{רַבִּים}$  factum esse, ut credam, a me impetrare non possum, sequentes ob rationes.

1) Jod multitudinis terminationis pluralis masculini  $\text{ים}$  interdum quidem deficit, sed non adeo saepe, et quidem ordinarie non nisi tunc, quando syllaba immediate praecedens itidem in  $\text{י}$  terminatur, uti videre licet ex exemplis adlatis. Idque sine omni dubio hac de causa, quia Hebraei Jod quiescens in duabus immediate se excipientibus syllabis non admodum amant. Hinc, si syllabam, quae in  $\text{י}$  finitur, alia sequitur, quae itidem  $\text{י}$  habere deberet, plerumque, eorum vnum, siue prius, siue posterius in scribendo omittunt, non secus, ac, si

in duabus syllabis immediate se excipientibus, duo Vau in Cholem quiescentia scribenda sint eorum ordinarie non nisi vnum exprimere solent: sed in vocabulo  $\text{וַיִּבְרָא}$  res aliter se habet: nullum enim praecedit Jod quiescens in Chirek. Accedit

2) licet et illud Jod plurale in aliquibus nominibus nonnumquam deficit, tamen non semper, sed saepissime in eodem nomine, vbi quodam in loco abest, in parallelo adiicitur. Quod vero in  $\text{וַיִּבְרָא}$  plane locum non habet, licet innumeris fere vicibus occurrat. Id quod maiorem in modum


3) inde confirmatur, quod etiamsi largiremur, Jod multitudinis periisse, saltim vel loco Patach primae litterae Mem subiecti Kamez positum, vel illo seruato sequenti Jod Dagesch forte impressum esse oporteret, vt sit  $\text{וַיִּבְרָא}$  aut  $\text{וַיִּבְרָא}$

Quod reliquum est, iterum moneo, me hoc nomen nonnisi in tantum ad *Dualia* referre, quatenus non eius significatus, sed tantum forma externa respicitur. Illum enim qui spectant, volunt, dualem respicere *duplicem* aquam, de qua Gen. I, 7. Hoc vero est perquam absurdum atque ineptum, quum, vti et Simonis scite obseruauit, vocabulum  $\text{וַיִּבְרָא}$  de aqua iam ante illam separationem Com. 2. et de quauis alia aqua dicatur. Qua igitur alia de causa? id quidem iuxta cum ignarissimis scio: sed inde in sententiam ipsam nihil plane redundat incommodi: aliud enim est, an res aliqua ita? et aliud, cur ita sit? Ignoratio posterioris non tollit veritatem prioris. Ita hic

hic quoque res se habet: demonstraui (enim מים neque singularem, neque pluralem esse posse, quibus remotis, nonnisi dualem remanere, per se patet. Qua re vero non in plurali sed duali efferatur? alius, me perspicacior, videat.

Hacque ratione simul obiectio Simonis contra nostram sententiam tertia diluta esset. Restat quarta, quae itidem euanesceat, si mox ostendam, מים suam trahere originem non a singulari מ sed מה. Quo admissio, sine omni anomalia fit מים, namque ה praec. ( . ) ante terminationem pluralem masc. ים. et dualem com. gen. ים. semper perire, res est notissima, adeoque demonstratione non indiget.

Quibus expeditis pedem hic figere possem, perueni enim, quo volui, nempe מים neque *singulare*, neque *plurale*, sed *duale* nomen esse. Moueri tamen ultimo haud ex vano et haec quaestio posset, a quo singulari dualis מים descendat? Cuius quidem quaestionis solutione supersedere possem: quum mihi in praesentiarum nihil aliud incumberet, quam demonstrare, מים esse in duali positum, quod iam demonstraui: tamen quia nobis de hoc nomine semel sermo est: forte haud praeter rem me existimo facturum, si etiam hanc in rem aliqua, si non certa et indubia, certe tamen probabilia adferam. Sine omnibus igitur ambagibus statim periculum faciam. Plerique, qui huius vocabuli singularem indagarunt, eum מ esse existimant. Cui opinioni fauere aliquo modo videtur lingua Arabica, in qua vocabulum *agua* per <sup>5</sup>آقو <sup>6</sup>آقو indigitatur. Vnde aliquis in eam forte se deduci passus fuerit opinionem, Vo-



cabulum Arabicum esse ipsum Hebraicum, pro Iod posito Aleph, quae mutatio Arabibus vehementer est usitata, indicibus et testibus praecipue Verbis, quorum media autultima י vel י' est, pro quibus in lingua Ar. praecedente vocali a ordinarie נ substitui solet. Haec tamen deriuatio mihi non placet, etenim

1) Vox Arabica et Hebraica non eiusdem formae sunt. Arabicum per ن, Hebraicum vero per י' et quidem mobile terminatur. Jod mobili autem, praecipue si puucto vocali caret, et Patach praecedit, in Arab. lingua nunquam respondet נ nedum quiescens, sed Iod cum vocali praecedenti ordinarie seruatur.

v. c. Hebraeorum י' Arabes scribunt et enunciant حاي Chai vel Chajon. Igitur, si Arabum حاي idem cum Hebraeorum ficto י' esset, pari modo dici deberet مای mai vel majon, quod vero nullibi reperitur, ergo ex forma נא effici non potest, singularem נא esse י' . Obstat quoque

2) huius vocabuli scriptura, nam si a singulari י' descenderet, in plurali aut duali נא Iod Dagesch f. impressum esse deberet, י'ים, י'ים, et in St. constr. י'ים י'ים et י'ים י'ים est י'ים, י'ים, י'ים, י'ים. Alius forte, eadem lingua Arabica duce, singularem נא putarit esse י' idque eo magis, quo adfinitus hoc vocabulum Arabico est. נ enim quiescens Arabum idem est cum י' quiescenti Hebraeorum, id quod vel ex solis Verbis Hebr. Lamed Iod et Vau ( quae vulgus grammaticorum Lamed He appellare consuevit, sed perperam, est enim Iod aut Vau radicale in י' mutatum ) satis luculenter patet: Hebraei enim Iod et Vau

Vau in ה quiesc. Arabes vero, nullum ה quiesc. agnoscentes, in נ quiesc. mutant.


Sed neque haec deriuatio placet: nam si singularis esset מָה: ה finale pro seruili adformatiuo haberi deberet: in omnibus enim, nullo excepto, nominibus, in ה- ex-euntibus, est illud ה- adformatiuum, nota feminini generis. Eiusmodi aut ה in Duali semper in ת mutatur, vocali litterae primae subiecta ob augmentum finale in Schua correpta. Proinde, si מָה esset singularis מַיִם: scriptum esse deberet מַתַּיִם vt a מַתַּר est מַתַּיִם.

Ipsa igitur, sin in re incerta, coniecturae suae relinquendus locus est, restituere malim singularem obsoletum מָה nam reliquis remotis, non nisi ab hoc singulari dualis מַיִם deriuari potest, idque sine omni anomalia. A singulari enim מָה formantes dualem addamus oportet terminationem dualem ים vnde proxime esset מַתַּיִם Verum ה- He praecedente Segol ob terminationem *pluralem* ים. et *dualem* ים- semper, sine omni exceptione abiici, in vulgus est notum, quo facto ipsum nostrum מַיִם existit, vt a גֹּלָה, גֹּלִיִּם, pro גֹּלְתֵי, a מַתַּר, מַתַּרִּים pro מַתַּרְתֵּי dicitur.

Denique quod ad originem vocabuli מָה spectat, eam extra controuersiam a rad. מַיִה ducit, media radicali Iod abiecta, vt adeo positum sit מָה pro מַיִה vt dicitur פָּה pro פַּיִה vel potius פַּתַּה, et פַּי pro פַּיִה.

Radicem vero inusitatam seruauit lingua Arabica in *ميا* propinauit, dedit aquam, nisi forte significationem petere





tere malis a radice  $\text{לִמְהַרְהָרֵךְ}$  tenuis fuit, vt aqua  $\text{מֵהַיָּם}$  vocetur ab suam tenuitatem. Et si id ab ipso themate  $\text{מֵהַיָּם}$  deducere velles, esset  $\text{מֵהַיָּם}$  pro  $\text{מֵהַיָּם}$  Deriuationem vocabuli nostri, quam GEORG. BURCKH. RÜMELINVS suppeditat, eius nempe primitiuum esse  $\text{הַיָּם}$ , silentio praetereo: haec enim sententia ita comparata est, vt refutationem non mereatur, et auctore suo digna.

Sed satis de hoc, et forte nimis multa. Pergamus ad reliqua. Antea autem, vno tantum verbo expedire iuuat, ad quam classẽ pertineat loquutio  $\text{תְּנִינָה וְכִרְיִים יִתָּץ}$  Leuit. XI, 35. Plerique eam ad hanc classẽ B. referunt: ego tamen illam iis exemplis adnumerari malim, vbi Verbum singulare duobus Nominibus respondet. Namque verbum  $\text{יִתָּץ}$  non ad posterius solum nomen  $\text{כִּרְיִים}$  sed et prius  $\text{תְּנִינָה}$  adeoque vtrumque respicit.

Maiori autem siure huc trahi potest ex Pf. LXVIII, 14.  $\text{בְּכַפֵּי יוֹנָה נְחֻפָּה כִכְסֵי}$  singularis enim  $\text{נְחֻפָּה}$  respondet quali  $\text{בְּכַפֵּי}$

*Obs. II. Numeri discrepantia* statuenda tunc quoque est, si Verbum singulare respondet Nominĩ plurali aut duali, quod vocabulum  $\text{כֵּל}$  praecedit. Exempla passim sunt obuia, et itidem ad duas classes reuocari possunt.

Omnibus enim his nominibus Verbum singulare itidem vel in eodem genere vel in genere discrepanti adiicitur.

1) *in eodem genere.*

Leuit.



Leuit. VII, 14. **כָּל־אֲכָלָיו יִבְרַח** *omnes eum sanguinem edentes*, EXSCINDETUR. Pro **יִבְרָחוּ** *excidentur*.

Plura exempla occurrunt Gen. V, 23, 31. VIII, 29. Ios. VIII, 25, Ies. XXXV, 24. LXIII, 10. Ezech. XVII, 9. Hof. X, 14. Nah. III, 7.


2) *in genere discrepanti.*

Ezech. XII, 28. **לֹא תִמְשֹׁךְ כָּל־דְּבָרֵי** *Non TRAHETUR s. DIFFERETUR omnia verba mea.* Pro **יִמְשְׁכוּ** *trahentur, s. differentur, i. e. ex idiotismo linguae Hebr. nullum Verborum meorum differetur.* Sic quoque Cap. XXXI, 15.

Forſitan erit vnus itemque alter, qui numeri et generis discrepantiam Verbum inter et nomen neget, ſtatuens, Verbum ſingulare non referri debere ad nomen plurale, ſed praecedens **כָּל**: quod quum ſit ſingulare, nullam aſeſſe numeri discrepantiam, et verti poſſe per *quinis*. Neque ſane, talis argumentatio adeo ſpernenda eſt: namque vocabulum **כָּל** ſua natura eſt ſubſtantiuum, denotans *uniuerſitatem* ſ. *ipotius*, vt ita loquar, *omneitatem* (*die Allheit*) quod vero ſemper adiectiue pro *omnis, omnes* adhibetur. Quod ſi ergo aliud nomen, ſiue plurale, ſiue ſingulare, ſequatur, id proprie in genitiuo **כָּל** autem in caſu recto eſt poſitum. Verbum vero aequae ac adiectiuum atque Pronomen, duo nomina, quorum alterum in caſu recto, alterum in Genitiuo poſitum eſt, ſequens in numero et genere ſe priori adcommodat. Proinde etiam in exemplis memoratis Verbum

D

bum



bum non cum nomine plurali sed praecedenti singulari כל  
construi deberet.

Nihilominus tamen in omnibus his similibusque lo-  
quutionibus numeri discrepantiam agnosco. Idque hanc  
solam ob causam, quia Verbum, nomina, quae vocabu-  
lum כל praecedit, sequens, in numero et genere, non,  
vt proprie quidem deberet, cum כל, sed semper cum  
nomine sequenti conuenit; vti ex sequentibus exemplis  
videre licet.

לא נותר כל-יָרָק non relictum est omne olus. h. e.  
nullum olus. Exod. X, 15.

כל-אִמְרַת אֱלֹהֵי צְרוּפָה omne Verbum Dei est proba-  
tum. Prou. XXX, 5. Vid. etiam Pf. CVII, 42.

כל-אֲכָלוּ יִמְכֹּרוּ omnes eum ( panem ) comedentes,  
se immundabunt, s. immundi euadent. Hof. VIII, 4. Idem  
obtinet Gen. V, 5. 8. II. 14. 17. 20. 27. XVIII, 18. XXXVII,  
35. Exod. III, 19. XI, 8. XV, 15, XXXVIII, 32. XXXVI, 4.  
Ier. XXXV, 24. Pf. XXII, 30. XXV, 3, LXXII. II. LXXV, 9.  
LXXXVIII, 4. CXXVIII, 5. Prou. II, 19.

Vnde cogitur, vocabuli כל hac in constructione nul-  
lam plane haberi rationem, ac per consequens vbi no-  
mini plurali כל sequenti respondet Verbum singulare,  
agnoscendam numeri enallagen esse.

Obs. III. Numeri discrepantia in iis quoque loquen-  
di formulis obtinet, in quibus Verbum singulare respondet  
No<sup>o</sup>

Nomini plurali aut duali *quod antecedit nomen numerale singulari*, v. c. 2 Sam. XXI, 6. יָתָן לָנוּ שִׁבְעָה אַנְשִׁים מִכְּנוֹי דֵּתָן  
 DETVR nobis SEPTM VIRI ex filiis eius. יָתָן pro  
 יָתָנוּ *dentur*. In hac quoque constructione alius forte nullam  
 inuenerit numeri discrepantiam, existimans Verbum singu-  
 lare non spectare nomen plurale אַנְשִׁים sed praecedens  
 numerale singulare שִׁבְעָה quod tanquam substantium  
 considerari possit. Tota autem errat via, qui ita sentit.  
 Vt enim taceam, שִׁבְעָה esse femininum, Verbum autem  
 masculinum, tantummodo obseruo, nomen numerale in  
 eiusmodi constructione qua numerum et genus plane in-  
 censum non venire, sed Verbum, adi. et Pron. in utroque  
 cum sequenti nomine conuenire, quod ex multis scri-  
 pturae s. locis perspici potest. Plura exempla occurrunt  
 Ex. VII, 25. XXXII, 28. Iud. III, 10. Pf. LXXXI, 7. rel.

*Obs. III.* Etsi in hac sectione proprie de Verbo solo  
 agimus, haud tamen immerito, credo, trahere huc pos-  
 sumus *Participium*, *adiectiuum* atque *Pronomen* Nomi-  
 plurali aut duali, vel duobus pluribusue nominibus, in sin-  
 gulari respondentia, si verbum substantiuum esse inuoluunt,  
 s. quod idem est, si *verbi* vice funguntur.

1) *Participium.*

a) in eodem genere.

α) masculinis in masculino.

Prou. III, 18. יְתִמְכִּיחַ מְאִשֵּׁר eam (sapientiam) re-  
 nentes BEATVS sc. erit. s. fiet s. BEABITVR. pro  
 מְאִשֵּׁרִים *beati fient.* conf. quoque Gen. XXVII, 29. Num.



β) *femininis in masculino.*

Ezech. XXXXVI, 23. וּמִבְשָׁלוֹת עָשׂוּי h. e. *et culinae factus sc. erat*, pro עָשׂוּיֹת *factae erant*. Coll. v. 18. Cap. XXXXI. Idem locum habet Exod. XXXVIII, 4. 1 Reg. VII, 16.

2) *Adiectivum.*

a) *in eodem genere.*

a) *Masculinis in masculino.*

Pf. CXVIII. 139 יֵשֶׁר מִשְׁפָּטֶיךָ *rectum (est) iudicia tua*, pro יֵשְׁרִים *recta (sunt)* 1 Sam. XVIII, 4. Prov. XX, 13.

β) *Femininis in feminino.*

Mich. I, 9. אֲנוּשָׁה מְכֹחִים *lethifera (est) eius plagae sc. vulnera*, pro אֲנוּשֹׁת *lethiferae sunt eius plagae sc. lethifera (neut. pl.) eius vulnera*.

b) *in genere discrepanti.* Et huius quidem generis nonnulla inveniuntur exempla, quae tamen huc referre nonlim, quia Verbum *esse* non inuoluunt, sed nudum adiectiuorum significatum habent.

3) *Pronomen.*

Ier. X, 3. הוּא הַבַּל הַעֲמוּם הַקָּוֶה *Idola populorum gentilium vanitas sc. nihil ille sc. illud. i. q. est* pro הֵן *illi sc. illa. i. q. sunt.* conf. v. 4. cap. XXXI, 15. Ios. XIII, 14.



*Obs. V.* Saepissime quoque scriptores sacri de quodam subiecto modo in plurali modo in singulari loquuntur, omniumque maxime Moses ubi de Israelitis loquitur, aut illos adloquitur. Hanc tamen loquendi rationem non tam *enallages* s. *numeri discrepantiae*, sed *numeri permutationis* nomine adpellare vellem.

*Obs. VI.* Singularis plane formula Num. XXII, 6. reperitur, quae ita se habet. אֶיךָ נִכְרָהּ vtrumque verbum vnum subiectum, vid. Balakum, Moabitarum regem, respicit, quo autem modo illa explicanda sit, infra ubi simul omnes iam adlatas, reliquasque huc pertinentes, eo quo §. II. dixi, modo, explicabo, ostendere conabor.

§. V.

Hactenus solummodo observavi Hebraeos in more habere Nominis plurali aut duali, item duobus pluribusve nominibus Verbum singulare addere, idque in casu praesertim priori vel in eodem genere, vel simul in genere diverso. Adduxi quoque exempla eo pertinentia, tam certa indubiaeque, quam ea, de quibus dubitari adhuc posset, et dubia, pro virium mearum modulo, solvere studui. Nunc vero haud immerito triplex moveri potest quaestio, primum, *quando et ubi?* deinde *qua de causa*, cur, haec numeri discrepantia ab Hebraeis, et nominatim auctoribus divinis adhibeatur? denique *quomodo Verbum singulare et nomen plurale verti debeant?* Quam vero disquisitionem, pluribus in praesenti occupatus, in aliud tempus differam.

